

02 I 122



B

E

P

M

SA



I. N. J.
ΜΕΛΕΤΗΜΑ
ΒΑΠΤΙΣΜΑ ΙΩΑΝΝΟΥ

SISTENS,
AD ILLUSTRANDA QVÆDAM
NOVI FOEDERIS LOCA,

Matth. c. III. comm. 6. & 13.

EX PHILOLOGIA ET ANTIQVITATE
DEDUCTUM,

ET
PERMISSIONE AMPLISSIMI PHILOSO-
PHORUM ORDINIS,

IN
ALMA SAXONUM AD ALBIM
ACADEMIA,
PUBLICO PLACIDOQVE ERUDITORUM EXAMINI
PROPOSITUM,

PRÆSIDE
M. JOHANN. ANDR. *Bleich*
GERA. VARISCO,

RESPONDENTE
SAMUELE *Reinhard* / Lobenstein. Varisco,
Phil. & S.S. Theol. Stud.

A. O. R. clō Iōc LXXXIX. d. XIII. Jul.

IN COLLEGIO MINORI.

Ob multorum desiderium & preces denuò recusa,

A. O. R. clō Iōc XCIV.

TORGÆ,
Prælo JOHANN. ZACHARIÆ HEMPL,



Argumentum Dissertationis.

S. 1. Est generalis, atque varia de Johanne Baptista dubia solvit. S. 2. Græca vocabula βαπτειν & βαπτισειν ex sacris profanis-que Scriptoribus explicat. S. 3. In specie de Johannis Baptismo agit, & quod per immersionem administraverit, Christum baptizando, breviter deducit. S. 4. Locum, in quo Johannes baptizavit, denotat. S. 5. Ritum baptizandi Ecclesie veteris, ex Antiquitate ulterius derivat, atq; immersionem primò demonstrat. S. 6. Trinam mersionem, in nomine nempe Patris, Filii, & Spiritus S. factam, asserit. S. 7. Aspersiois ritum, & quomodo introductus sit, designat. S. 8. Grabatariorum s. clinicorum Baptismum affert. S. 9. Mortuis collatum Baptismum ostendit. S. 10. Et Episcopis, Presbyteris & Diaconis jus baptizandi competere, probat. S. 11. Varias & plerasque accessorias ceremonias sequioris ævi exponit. S. 12. Baptizatorum abstinentiam à gentilium ritibus, laudat. S. 13. Baptizandi tempus determinat. S. 14. Baptismum in primitiva Ecclesia ubiq; peractum fuisse, contendit. S. 15. De Baptisteriorum origine quædam habet. S. 16. Baptisteria Constantini M. imprimis opera in suburbia, & postmodum in Ecclesiam ipsam esse traducta, dicit. S. 17. Vestigia Baptismi in America adhuc latitantia, elicit, atq; Ratholdi, pessimum respuentis Baptismi factum, reprehendit. S. 18. Campanarum Baptismum destruit. S. 19. Aquæ Baptismalis abusum, & superstitionem vulgi, de pluviis in die Johannis Baptiste lapsis, explodit. S. 20. Efficaciam Baptismo, in tentationibus, deformitate, & morbo, tribuit. S. 21. Miraculosum Clodovei Francorum Regis Baptismum recitat. S. 22. Varia exempla, Regis alicujus & Principum, Baptismi sui semper recordantium, sistit. S. 23. Elegantem historiam, ex Gregorio M., recens Baptizatos in libro vite aureis literis esse inscriptos, eruit. S. 24. Pio voto concludit.

Varia quidem sunt, quæ in magno illo divino-
 que optimi Sospitatoris præcursore JOANNE
 BAPTISTA, (cui parem à mulieribus natum,
 mundus non vidit (1), & memoratu digna lectuque ju-
 cunda, imò & necessaria quodammodo sese nobis of-
 ferunt. Sive enim respiciamus ipsius steriles senioque
 fermè consumptos Parentes (2), sive egregium & verè
 præter naturalem embryonis in utero saltum, ubi au-
 dita Mariæ salutatione, ἐσκήρτησε (3) τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ
 αὐτῆς, ἢρ. Ελισσέτ, non nisi stupenda & admiranda re-
 perimus miracula. Quæ inaudita ipsius fuit nativitas,
 cum venerandi Sacerdotis (4), surdi mutique Parentis
 lin-

(1) Sic ipse Christus apud Matth. c. XI. ii. Decisam hanc con-
 trov. vid. ap. Dn. D. J. F. Mayerum, in Eclog. peculiari ad Evang.
 Fest. Joh. 1686. edit. (2) Luc. I, 7. conf. v. 18. (3) Ἐσκήρτησε ἀσκήρ-
 τῶ, propriè juveniliter saltito, exultando ludo, more agnorum,
 aut vitulorum salio, saltu lascivio. Usurpat *Homerus* *Iliad.* v. ὅτε
 σκίρτων ἐπ' εὐρέα νῶτα θελαίας. Et *Aristophanes*, Σκίρτα, γέλα
 νόμιζε μηδὲν αἰχρῶν. Consentit *Scapula* p. 1467. sub hac voce, in
Lexic. Basil. 1605. edit. & *B. Schmidius* in notis ad *N. Fœdus*, ad Luc.
 c. I. 41. p. 485. (4) Alii ex *Zacharia* Pontificem summum faciunt,
 uti videre est ex *Proto-Evangelio Jacobi*, (quod scriptum suppositi-
 tium, & ex antiqua historiæ Judaicæ ignorantia oriundum, magni
 alicujus Viri judicio) *Xaverio*, in historia Persica; Ex *Ambrosio* in
 Luc, c. II. *Augustino* *Tract.* 49. in *Johannem*, *Hieronymo* in *Epist.* IV.
Adamo Conzen in *Comment.* ad IV. *Evang.* in Luc. I. aliisque; Quæ
 v. sententia planè absurda, cum non δεχισθεὺς, sed tantum ἱερεὺς ap-
 pelletur *Zacharias*. Accedit quod ipse *Josephus*, accuratus *Judai-*
 carum rerum indagator l. XII. eum in *Chronologia Maximorum*
 Pontificum non habeat. conf. *Hugo Grotius* ad c. I. Luc. nec non *B.*
Ægidius Srauchius in erudito *Hist. Eccles. MSS.* P. I. χειρολογίας,
 Quæst. mihi II da. aliiqve, qui hoc argumentum accuratius, & ex in-
 stituto prosequuti sunt.

lingua solveretur, ut DEUM laudaret, teste sanctif-
simo Historico, fidelissimoq; DEI amanuensi, Luca (5).
Quot nomina tribuuntur recens nato puero, egregia
omina promittentia (6)? Mirantur alii durum & soli-
tarium vivendi genus (7), alii inusitatas sanctissimi Viri
vestes (8). De cibo ejus (9), multi inter se pugnant,

A 3

nec

(5) c. I. 64. (6) Luc. I. 13. 17. 59. 60. (7) Ex eo enim inepti
illi & parum interdum sibi constantes Monachi, Eremitarum ordi-
nem probare volunt. Quibus adstipulatur *Bellarminus* l. 2. de
Monachis c. 39. & *Baronius* ipse, qui tamen ψαδερμενίαν & ἀνισορη-
σίαν hoc indicio produnt, uti patet ex Luc. I. 66. Cum enim Ἰη-
σοῦς τὸν Ἰορδάνην esset, ἐν ταῖς ἐρήμοις, in loco quidem erat minus cul-
to & montoso, non tamen hominibus planè vacuo, quia non saxis
aut montibus, sed hominibus, Dei oracula promulgavit. Qua in
re pariratione censendi, cum antea adductis, *Carolus Maria Veil* in
Matth. cap. III. nec non *Casaubonus* in notis ad Johann. c. 1. & *Hugo*
Grotius in h. l. qui eum procul à Jordano in abjectum disjungunt lo-
cum. Videri hanc in rem meretur *Dissertatio* elegans fidelissimi
nostri Præceptoris, *D. Schurzfleischii*, cui tit. Ἰωάννης ἐρημάζων. (8)
Erat nempe villosa vestis, prout Prophetæ utebantur. Johannes
enim gerebat ἕδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλης, καὶ ζώνην δερματικὴν.
De quibus vestimentis multa adducere possemus, nisi prolixitas
calamo remoram injiceret. Id tamen notatu dignum, illum ve-
stiendi ritum postmodum ad gentes manasse, quod ex *Ctesia* apud
Apollonium c. 20. edit. in fol. *Æliano*, *Histor. Animal. libr. 17. c. 34.*
Marc. Paul. Veneto, libr. I. c. 63. egregiè probavit *CL. Schurzfleischius*,
coll. *Hist. Eccles. MSS. ad Sec. I. §. mihi VI.* (9) Variè nam-
que ἀκρίδες à variis, exponuntur. Inusitatus enim non fuit apud
Orientales illarum usus, id quod ex *Lev. XI. 22.* (quo in loco
ἀκρίδων, tanquam animalis esculenti mentio fit,) constat, & ex
Strabone, *Aristophane*, atque *Plinio* libr. XI. cap. XXVI. patet. De
Locustis edulibus plura habet *Isaacus Casaubonus* *Exercit. XIII. ad*
Annal. Baron. ad Ann. 31. num. 13. Suffragantur Patres Ecclesiæ
Veteris, *Chrysostomus*, dubitans tamen paululum, *Hilarus*, *Hiero-*
nymus,

nec non de magno & Heroico prorsus in docendo fervore atq; zelo, adversus Herodem maleferiatum usurpato. Quæ de ipsius reliquiis à Romanensibus afferuntur, levia sunt & tralatitia, nec sine tædio aut risu leguntur (10.) Nobis in præsens animo sedet, nostri aspi-
cere

*nymus, Theophilus, & alii, qui in eadem nobiscum remanent sententia. Non enim opus est hâc in parte audire Adversarios, textus significationem genuinumque sensum detorquentes, qui mox ἐγκρίδες, (quemadmodum Ebioniorum cohors in Pseudo-Evangelio) ponunt, mox ἀκρίδες, quæ poma Sylvestria denotant, adeoque delicatiora sunt, neque victui Johanneo competunt, cujus abstinentia in Evangelio mirificè laudatur. Neque pisces marinos fuisse ἀκρίδες, ex eo constat, quoniam loco montano, in quo Johannes vivebat, minimè competit, qui à mari disjunctus, eosdem capere non poterat. Κάραροι namque marini pisces dicti, in fluviis non reperiuntur, sed in mari, quod Jordanes non alluit. Nobis etiam minimè satisfacit *Baronii* opinio, qui hoc vocabulo summitates arborum exprimit, id enim ἀκρίδων nomini non congruit, Græcique extremitates arborum, non vocant ἀκρίδας, sed ἀκροδρυα. Mel autem à Johanne consumtum verè fuit ἀγρίον, quod ἐν ἀγρῶ reperitum, ex arboribus & antris cavernisque collectum. A *Theophylacto* vocatur μέλι ἀπὸ ἀγρίων μελισσῶν γεωργύμνον, quod in Judæa per fuit copiosum, & hodie etiam in montanis & Sylvestribus locis à mari Caspio ad extremum usque Septentrionem colligitur, nominatim in Polonia, Lituania, Moscovia, reliquisque adjacentibus regionibus. Conf. *Caspar Sanctius*, in Comment. ad I. Reg. XIV. & *Maldonatus* in Matth. X. p. 504. nec non *B. Stolbergius*, Græcarum literarum in hâc alma quondam Doctor meritissimus, in Disp. de victu & amictu Johannis Sect. IV. §. 1. (10) Nescio, an duo vel plura capita, aut sex digiti indices, calcei tres, & quæ sunt alia plura, monstrantur, uti ex antiquo Codice Romæ 1525. edito recenset *Hieronymus Wolffius* in Memorabil. Cent. XVI. pag. 235. *Baronius* in Martyrolog. ad d. 29. Aug. p. m. 538. quod argumentum tamen, quod planè sit absurdum, atque*

cere penitus paulò & pertractare Baptismum, à quo & nomen Baptistæ ipsi tribuitur, quâque ratione postmodum in veteri Ecclesia utilissimus, & ab ipso Christo approbatus ritus demum sit traductus, breviter summamq; demonstrare.

§. 2. Ad ipsum autem Baptismi nomen respicientes, statim Græcorum perlustrandæ veniunt sententiæ. Βαπτισμός enim propriè & imersionem & asperionem denotat. Vocabulum quippe βαπτίζω à βάπτω derivatur (11) quod significat in aquam immergere. Quicquid verò alii suggerant de hac sententia, nobisq; argumenta ab etymologia vocum opponant, usu adverso nihil efficient. Nobis enim usus testis adstat, ubi βάπτω & βαπτίζω præter imersionis notionem, & cujuscunque ablutionis denominationem retinent (12).

§. 3. Hæc

atqve rejiciendum, prolixius demonstravimus in dissertatione nostra, de Idolo Pontificiorum destructo, s. Magno, quem vocant, Christophoro 1688. edita, ad quam B. L. volumus remissum. (11) In eo omnes nobiscum consentiunt Græcarum literarum edecumati Doctores, imprimis antea laudatus B. Stolbergius in notis suis ad Novum Fœdus, qui egregiè hæc de re differit, sub tit. Βαπτισμός. vid. & *Eduardus Leigh*, in Critica sacra, s. in observ. voc. Græc. N. T. Amstelod. 1679. in fol. edit. p. 56. nec non *Erasmus Schmidius* in notis s. Animadvers. in N. Instrumentum 1658. in fol. Norimb. edit. ad c. III. Matth. v. 6. p. 50. adde *Joh. Himmelium*, Doctorem Theologum Jenensem, in Syntagmate Disp. Theol. Methodic. edit. quint. Disp. XXI. thes. 2. p. m. 215. *Joh. Scapulam* (qui quidem, aliorum judicio, utilem Scholis aliqua ex parte præstitit operam: non tamen à plagii & doli crimine absolvi potest: siquidem saltem Henrici Stephani thesaurum Græcum in aliam formã redegit) in Lexico Græco-Latino Basil. 1605. p. 254. *Petrum Ravanelum* in erudito Bibliothecæ Sacræ opere, 1650. Genève edit. in fol. sub tit. Baptismus, p. 182. n. 1. aliiq; quàm plurimi. (12) Principia Grammaticalia duo sunt, unum est ANA-

LOGIA,

§. 3. Hæc autem de Baptismo Johannis Matthæus:
 (13) καὶ ἐβαπτίζοντο ἐν τῷ ἰορδάνῃ ὑπὸ αὐτοῦ, ἐξομολογῶντες τὰς
 αἰμαρτίας αὐτῶν. Et paulo post in specie de Christo (14):
 τότε ἐβαπτίζετο ὁ ἰησοῦς ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἐπὶ τὴν ἰορδάνην πρὸς
 τὸν ἰωάννην, τὸ βαπτίζεσθαι ὑπὸ αὐτοῦ. Ex quibus satis su-
 perque patet, officium Johannis non solum ex Novi In-
 strumenti nuncio, sed & novi Sacramenti, Baptismi nimi-
 rum, primo usu, constituisse, eumq; ideò propè Jordanum
 comorari consuevisse, ac Baptistæ nomen (15) accepisse.
 Erat

LOGIA, aliàs ETYMOLOGIA dicta, alterum AUCTORUM USUS. Jam
 verò notum est, quod pleraq; vocabula degenerarint à sensu, quem
 habuerunt ex impositione originis, alium verò quandoque acce-
 perunt ex usu. Faciamus antea citati Leighii verba nunc nostra;
 „ sic namque ille loc. allegato: *Vocabulum βαπτίζω quamvis de-*
 „ *scendit à βάπτω, tingo, mergo, immergo in aquam, & primario si-*
 „ *gnificet istiusmodi lotionem seu immersionem, quæ in vasis aquariis*
 „ *fit, quibus lintea immergimus: tamen largius & latius etiam sumi-*
 „ *tur pro quocunque genere ablutionis, prolutionis seu mundationis, et-*
 „ *iam illius cui nulla immersionis species adest.* Significat omninò
 βάπτω abluo, in qua interpretatione apud Aristophanem & Plutar-
 chum, reperitur, allatumque in hâc significatione à Suda in Le-
 xico. βαπτίζω verò idem est ac βάπτω cum quo & permutatur. Marc.
 VII. 3. 4. 5. conf. c. X. 38. Act. I. 5. Luc. III. 16. βαπτισμός tribuitur
 in V. T. Judæis se lavantibus, Ebr. IX. 10. ubi ritus ille per ablutio-
 nem factus est. vid. Levit. XVII 15. 16. quam explicationem & admit-
 tit Hesychius, Stephanus & Budæus, græcarum literarum peritissimi.
 Suffragatur & Gregorius de Valentia, qui contra Bellarminum de hu-
 jus vocabuli recta & genuina significatione disputans, baptismi no-
 men latius patere dicit, atque adeò propriè quamvis ablutionem si-
 gnificare. vid. Tom IV. comm. in III. part. Thom. disp. IV. qv. 1. col.
 740. (13) Matth. c. III. 6. (14) Eod. cap. v. 13. (15) Baptista καὶ ἔξ-
 χην dicitur & ἀπονομαστικῶς, vel quod Christum, Salvatorem su-
 um baptizavit, (Christus verò ipse neminem baptizavit, quod te-
 men audacter, obloquente Scriptura Joh. IV. 2. Baronius affirma-
 re con-

Erat propè Jordanem, non tantùm quòd ibi aquam communem habere poterat, sed ut eò magis mysterium revelaret Israelitarum per Jordanem quondam ex Ægypto transeuntium. Et simul quoque vetustissimum baptizandi ritum subinnuit, quo per immersionem baptismus administrabatur. Immersio enim conducebat in locis calidioribus. Hinc *πατριστεῖς ὁ Ἰησοῦς ἀνέβη ἐν ἡρῶν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου* (16) Baptizatus Jesus adscendit protinus ex aqua (17). Ex aquis nempe adscendit Jesus, evidenti *καὶ δυνάμει* argumento, cum non necesse habuisset adscendere, si extra aquas, atque sicco in loco, per asperisionem baptizatus fuisset.

§. 4. Huc refer locum Johannis (18), quo probatur, Johannem Baptismum administrasse in Ainon, loco ad Scythopolis fines pertinente, non alia ex causa, quàm quòd multum aquæ ibi erat. Errat Baronius, qui Aenan & Ainon confundit; cum illa Diospolin, hæc Scythopolin proximè spectaret. Quod Eusebius docet, (19) Schmidius, (20) & alii.

B

§. 5. Jo-

re contendit, Christum nempe & Petrum & Mariam propriis manibus baptizasse, Tom. I. Annal. ad A. C. 31. n. 40. ex *Evodii* supposito scripto, & *Clemente Alexandrino*, (de quo varia nobis reliquit judicicia, Præceptor noster æternis nominibus colendus, Dn. D. *Bebelius*, ὁ ὄντων ἐν ἀγίοις, in aureis planè, utinam absolutis, Eccles. Antiquitatibus Sec. III. Art. I. p. 472.) De qua decisione autem quid sentiendum sit, exposuit Dn. D. *Mayerus* in Eclog. pecul. ad Evang. Dom. IV. Adv. 1685. qv. 1. vid. & D. *Schurzfleischius* in Hist. Eccles. MSS. & B. *Schmidius* in notis ad N. T. p. 664. ad c. III. 22. Joh.) vel quod primus tantum hominum confluum baptizare cœpit. (16) Matth. c. III. 16. (17) H. *Grotius* in h. l. reddit. vix ascenderat. (18) Joh. c. III. 23. (16) vid. *Eusebius* in Onomastico urbium, ex quo more suo exscripsit *Hieronymus*. Adde, quæ habet Polyhistor incomparabilis D. *Schurzfleischius* in Coll. Hist. Eccles. MSS. c. 1. §. mihi 12. (20) B. *Schmidius* in notis ad N. Foedus, speciatim ad c. III. Joh. v. 23. p. 664.

§ 5. Consideratis his probe, recteque omnibus expo-
sitis, nos conferamus ad reliquas hujus Sacramenti An-
tiquitates. Morem immergendi Ecclesia tam Orienta-
lis, quam Occidentalis, per plurimos annos retinuit. De
hâc, sc. Latina Ecclesia, testimonium præbet, antiquissi-
mus Latinorum Patrum, Tertullianus, (21) qui hominem
in aquam demissum & tinctum esse palam profitetur.
Quod de Ecclesia Græca pariter confirmat, sanctissimus
ille Antistes Nazianzenus Gregorius (22), qui Patrem
suum, post baptismum ex aqua egressum, statuit.

§ 6. Primis a. antiquissimisque ab Apostolorum deces-
su temporibus, non solum apud Latinos, sed etiam apud
Græcos & Æthiopes, trina mersio s. intinctio in aquam
baptismalem, & quidem prima ad Patris, secunda ad Fi-
lii, tertia ad Spiritus S. nomen, facta est (23). Quem ritum,
in odium SS. Trinitatis Eunomius, unam mersionem
substituens, auferre non erubuit, ut Theodoretus (24) au-
ctor est, Romæ tamen cæterisque in regionibus occiden-
talibus plurimis, diu mansit antiquus trinæ mersionis u-
sus, ut ex illorum temporum monumentis constat (25).

§ 7. Li-

(21) *Tertullianus* in libro de Baptismo. (22) *Gregorius Nazianzen.* in
Orat. pecul. de laudibus Patris. (23) *Tertullian.* advers. Praxeam. c. 26.
& de corona milit. c. III. conf. *Chrysostomus*, Tom. III. Homil. XXIV. in
Johann. Ariani tamen olim mutarunt, quod patet ex *Nicephoro*, l. 16.
Histor. c. 35. & *Epiphano* Hæres. 76. imprimis verò exemplo *Deuterii*, A-
rianorum Constantinopoli Episcopi, qui baptizavit Barbarum ali-
quem, verbis inusitatis, in nomen Patris, per Filium, in Sancto Spiri-
tu; quo facto aqua in colymbethra evanuit. Quod refert *Theodo-
rus Lector.* L. 2. Collectan. quæ *Eusebii Pamphil. Ruffini, Socratis &c.*
Histor. Ecclesiast. in edit. Basil. subjuncta sunt, pag. 659. (24) libr.
4. Hæretic. Fabul. cap. 3. Tom. IV. Qui error tamen ab aliis, disci-
pulis Eunomii, Theophronio nempe & Eutychio adscribitur, uti
liquet ex *Sozomeno* Libr. VII. cap. XVII. pag. 98. (25) Seculo np.
IIX.

§.7. Licet verò immerfionis ritus primùm effet receptus, atque paffim ufitatus; tamen per afperfionem aut affufionem Baptifmum olim effe quoque peractum, nemo in dubium vocabit. Ecclefia enim occidentis praxi fua, primò omnium, melioris commoditatis & compendii causâ, ritum immerfionis cum afperfione, commutavit, cum nullum in facris literis extet mandatum aut decretum, de immerfione privativè peragenda. Accedunt & aliæ rationes, imprimis teneritudo infantum; (in frigidioribus nempe locis, maxima exinde evenire solebant naturæ incommoda, cum adultorum baptizatio rarior occurreret, neque nifi tenerrimi infantes, offerrentur:) Nec non pudor & verecundia, præfertim in fæminis catechumenis denudandis (26) fe coram viris, aut faltem coram Presbytero. Plura, & nova etiam

B 2

addit

IX. adhuc illum ritum fuiffe ufitatum, tempore Constantini V., (qui, quod facrum fontem ventris onere fœdâflet, Copronymus dictus est vid. *Baronius* ad A. C. 719. in fine, ex quo S. Germanus, Patriarcha, qui eum baptizavit, haud vanum impietatis illius omen accepiffe fertur. *Dionys. Petavius*, magnum Galliæ quondam decus, in egregio *Historiarum compendio*, *Ration. Tempor. dicto*, P. I. Libr. IIX. p. m. 373. edit. Paris. 1652. add. *Cluver.* in *Epitom. Histor.* in quarta forma, impress. Hildeshem. 1640. sub vita hujus Imperatoris p. m. 478. De Wenceslao quodam in occidente Imperatore, paria immunditiei fata refert B. *Qvenstedius* noster, in eruditis *Antiquitatibus Ecclesiasticis*, de ritibus Baptifmalibus. 1668. editis.) illius ævi Scriptores promittunt. *Rabanus* l. I. de institut. cleric. c. 28. de Seculo XII. quod adhuc ille ritus ufitatus, legi meretur etiam *Rupertus Tuitiensis* l. VII. de divin. offic. c. XIV. & *Hugo de S. Victore* l. I. erud. Theolog. de Myft. Eccles. c. 19. & de reliquis temporibus G. J. *Vossius* in *Disp. II. de Baptifm.* th. III. IV. (26) Nudi nempe ut plurimum aderant ad Baptifmum accessuri, quo enim melius *κατὰ δουσις* & *ἀνὰ δουσις* posset adhiberi, baptizandi toto corpore denudabantur. De adultis & infantibus hunc ritum probat

addit momenta Thomas de Aquino (27), nec non CL. Voffius (28).

§. 8. Quæ aspersio etiam Ægrotantibus contigit, qui, ne absq; Baptismo decederent, in lecto aquâ affundebantur vel aspergebantur, exinde Clinici dicti, quod *ὄν τῆ κλίνῃ*, in clinidio decumbentes, vel lectulis affixi, aspersione, dumtaxat, eâq; ambiguo vitæ statu, baptizarentur, ut innuit Hugo Grotius (29), magnum illud rei literariæ & politioris eruditionis decus. Ast tantum in casu necessitatis & extra ordinem affusio s. aspersio admittebatur. Quia tamen *πανπισμὸς* in Ecclesiam occidentalem (30) est introductus, & postea retentus.

§. 9. Illud sanè in Veteri Ecclesia reprehensionem meretur, quosdam vivos pro mortuis, qui sine Baptismo supremum diem obierant, baptizatos fuisse. Quod vitium Marcionitis imputat Tertullianus (31). Hæc verò pessima consue-

bat *Johann. Baptista Casalius*, in *Veteribus*, quos edidit, 1681. Francofurt. & Hannoveræ impress. Christianorum ritibus p. m. 53. De Basilio Magno, sine veste sacro, baptizato, ipsius vitæ Scriptor, *Amphilochius* affirmat, in vita Basilio M. vid. & *Josephus Vice Comes* libr. IV. cap. X. de antiquis Baptismi ritibus. Sic etiam in carcere constituti, nec non infirmi ac debiles, etiam cum propinquæ mortis periculo, nudi baptizabantur, quorum exempla collegit, antea allegatus *J. B. Casalius*, p. 53. causas hujus nuditatis habet *Chrysostr. Hom. VI. in Coloss. II. Cap. & Cyrillus l. c. (27)* (cujus scripta Johannes XX. P. R. miraculis prætulisse fertur, affirmante *Anton. Bossevino Appar. S. Tit. S. Thom.*) Part. III. Summ. (28) *Gerb. Johann. Voffius* de Baptism. disp. I. §. IX. (29) *H. Grotius* in notis ad Matth. c. III. 6. (30) vid. §. præced. add. *Augustinus*, vel quisquis Auctor est libri de Ecclesiast. dogmat. c. LXXIV, & *Walafridus Strabo* libr. 2. pag. 48. (31) *Tertullian.* libr. V. adv. Marcion. cap. X. & libr. de resurr. carnis c. XLIX. ubi illum ritum vicarium baptisma vocat. Cujus sententiæ ad stipulatur *Chrysostr. Homil. XL. in 1. Cor. XV.* nec non *Gabriel Vas-*

quez

consuetudo instituto Christi atque divino ordini resistit, sanctissimumq; mysterium de honestate magnopere, atque in ludicrum mutat. Describitur modus à Patribus sequenti ordine: Lectus siue grabbatus erat, in quo mortuus jacebat. Sub eo vivens quidam ponebatur: Hic verò, an baptizari vellet sub persona mortui interrogabatur; si respondebat, velle se baptizari, baptismus ille symbolicus contra divinam institutionem conferebatur. Quam simplicitatem prolixè deducit Gabriel Albaspinæus (32).

§. 10. Ordinarium in primitiva Ecclesia conferendi catechumenis baptismum jus, non penes solos Episcopos (33), nec Presbyteros, sed etiam Diaconos (34) erat,

B 3

qui

quez in Thomam P. III. q. 69. Disp. 157. quibus se opponit Epiphanius, atque hoc vitium tribuit Cerinthianis, l. 1. Hæres. XXIIIX. Multi, nec malæ notæ Scriptores, hunc Baptismum esse à Paulo 1. Cor. XV. 26. adductum, putant, quæ tamen sententia in varias abit partes. Plurimas opiniones invenies, apud Dn. D. *Henr. Müllerum* Prof. Rostochiensem, qui XVII. enumerat, & B. nostrum *Calovium* qui XXIII. habet: Hic in Bibliis illustratis & contra *H. Grotium*. Ille in disp. de Baptismo Anno 1665. edit. conf. m. *Georg. Calixtus*, in Comment. ad h. l. nec non in tract. de purgatorio, & B. *Stolbergius* in notis MSSt. ad N. Foedus tit. Baptism. §. mihi II. atque *Hoornbeckius* in Miscell. Libr. I. cap. XVII. p. 479. Ultraject. 1676. edit. (32) in observationibus utilissimis de veteribus Ecclesiæ ritibus, Helmestadii impress. 1672. obs. IX. Libr. I. p. m. 40. 41. (33) Sic putat quidem *Autor Epistolæ ad Smyrnenses*, (quæ malè Ignatio adscribitur) hoc jus soli competere Episcopo, referente B. *Qvenstadio* in Antiqu. supra citatis. Ast Apostolorum ætate, & quidem duobus Ecclesiæ crescentis Seculis, nulla erat inter Episcopum & Presbyteros differentia; subsequenter autem temporibus unus è Presbyteris, reliquis præpositus est, non divino instituto, sed humano quodam consilio, isque singulariter dictus est Episcopus, penes reliquos autem nomen Presbyteri mansit, ut censet CL. *Salmasius* de Papæ primatu in appar. p. 307. (34) id sibi defendendum.

qui non tantum extra ordinem, & in casu necessitatis, tempore persecutionum, hunc ritum exercerent, sed etiam legitima & ordinaria potestate constituti, hoc sacrum munus suscipere ac peragerent. Id quod multa exempla in Africa, Ægypto, & in Oriente passim testantur, ubi Diaconi pariter ac Monachi baptizabant.

§. II. Simpliciter primum ac sine omni splendore hoc sacrosanctum mysterium peractum, post, pietate decrescente, auctæ sunt Ceremoniæ, ut eò magis vulgus inaudita pompa alliceretur, atque ad stuporem usq; raperetur. Ut præcipuarum tantum mentionem faciam, inter illas caput effert catechizatio s. informatio in capitibus religionis Christianæ (35) de fide & moribus, ut & publica fidei professio (36), nec non spontanea Satanæ renun-

dum sumit *Vossius* Disput. IX. de Baptism. th. 3. adde *Schurzschium* in egregio Antiquitatum Collegio, superiori anno habito cap. XI. de Baptism. §. 7. MSSt. Quid vero de Baptismo per *Athanasium* puerum ex lusu aliis secum ludentibus pueris catechumenis, ad maris litus administrato, (quam recitant *Historiam Ruffinus* Hist. Eccles. Libr. I. cap. XIV. *Socrates* Libr. I. cap. XV. *Sozomenus* Libr. II. cap. XVII. *Baronius* Annal. Tom. III. ad ann. 311. *Job. Aretius*, in vita *Athanasii*) sentiendum sit, nostrum nunc non est, inquirere, vid. *Hoornbeckius* Miscell. sacr. Libr. I. cap. XVII. Sect. 2. p. m. 489. (35) Nemo enim adulatorum Christianis sacris initiari poterat aut debebat, priusquam summam fidei ad salutem necessariæ edoctus esset, Conf. *Hieronymus*, Epist. XLI. de erroribus Johannis Hierosolymitani cap. 4. (36) Post profectuum nempe in Christianæ religionis fundamentis examen, brevem confessionem, antequam tingerentur, coram toto Ecclesiæ cœtu edebant, vid. & Act. IIX. comm. 36. Sic quoque *Clementem* in constitut. Apost. libr. 7. cap. 42. aliosque adducit *Casalius*, & ejusmodi confessionem de suggestu esse factam ex *Augustino* libr. IIX. confess. probat, in Veter. Sacr. Christ. ritibus c. V. p. m. 46, sub fin.

(37) Hæc

renunciatio & operum ejus (37). Addatur Exorcismus,
(38) susceptorum s. patrinorum adhibitio (39), crucis im-
pressio (40), Salis gustus (41), narium & aurium salivâ
tactus (42), nominis impositio, (43), sacra unctio (44),
manus

(37) Hæc jam tempore *Tertulliani* fuit usitata, uti fatetur l. de
Spectaculis. c. IV. f. 139. edit. Commel. conf. m. *Dionysius Ariopagita*
de Eccles. Hierarch. cap. de Baptismo, ex citatione *Casali* de ritibus
veter. Christ. Sacr. p. 46. adde *Basilium*, magnum Seleuciæ in Isauria
Episcopum, orat. XXVII. p. 150. & indefessum Romani cœtus erro-
rum defensorem, *Bellarminum* libr. 1. de Baptismo cap. XXV. *Augusti-*
num libr. 2. de Symbolo an catechumenos cap. 2. libr. 1. de peccat. me-
rit. & remiss. c. 34. (38) Hujus mentionem facit *Tertullian.* libr. de co-
rona milit. & Apolog. c. 32. *Lactantius* libr. 2. Instit. cap. 16. libr. 4. cap.
17. *Optatus Afer*, Milevitanae Ecclesiae in Numidia Episcopus, Bibl. P.
E. Tom. IV. de Schismate Donatistarum contra *Parmenianum* libr. 4.
col. 505. *Ambrosius*, Tom. IV. libr. 1. de Sacram. c. 5. p. 531. quam contro-
versiam cum contra *Calvinianos* imprimis agitetur, Theologis enucle-
andam relinquimus. (39) Horum originem è *Bartholomæi Platina* vi-
tis communiter Auctores referunt ad *Hyginum*, Episcopum Roma-
num, recensente *Gratiani* testimonium, *Luc. Osiandro*, Epitom. Histor.
Eccles. Cent. II. libr. 2. *Lombardus* Libr. IV. Sentent. distinct. 6. Art. 2.
& qui primò ponendus est loco, *Tertullianus* libr. de Baptismo c. XIIIX.
(40) Hac formula imprimebatur crucis signum: Signaculum Salva-
toris Domini nostri Jesu Christi, in frontem tuam pono & similiter in
pectus, uti affert *Gregorius Magnus* in Sacramentario. *Tertullianus* de
corona milit. c. 5. *Hipponensium Doctor* conc. III. in Psalm. XXX. (41)
In os baptizandi sal immittebatur, ut ab iniquitatibus & peccatis de-
sisteret conf. *Isidorus* de offic. Eccles. cap. 20. libr. 2. *Beda* venerabilis,
libr. 2. in Esdr. cap. 9. *Paulus Laymannus*, Lojolita, in Theol. Moral.
Libr. V. Tractat. II. cap. 8. num. 8. (42) qui ritus recentior, vid *Ambro-*
sius Tom IV. libr. 1. de Sacram. c. 1. p. 429. *Rabanus Maurus* libr. 1. de ce-
remon. Eccles. cap. 27. pag. 41. *Qvenstadius* de ritibus Baptism. Sect. II.
§. 10. p. m. 336. (43) ὀνομαθεσία, ad imitationem circumcisionis Luc. I.
63. Luc. II. 21. Intellige autem hanc nominis impositionem respectu in-
fantum. Adulti n. nomina non mutabant, nisi fortè à paganis Diis
nomina

manus impositio (45), lactis & mellis, vel etiam vini delibatio (49), osculum pacis (47) vestis candida (48), cereus accensus (49), S. Eucharistiæ porrectio (50), ac tandem benedictio (51). Qui tamen ritus in hodiernis nostris cœtibus non omnes retinentur, imprimis illi, qui ad superstitionem accedere videntur.

§. 12. II.

nomina sortiebantur. (44) Ante baptismum nempe oleo ungebantur initiandi, ut futuræ athletæ Christi, & gratiæ ejus donorumq; participes reddendi. *Chrysof.* VI. orat. ad Coloss. *Ambrosius* Libr. I. de sacram. c. XI. (45) $\chi\rho\iota\sigma\tau\iota\sigma\mu\sigma\iota$ variis modis in antiqva Ecclesia fiebat variisque casibus usurpata est vid. *D. Gerhard* Loc. Theol. T. IV. p. 117. (46) in oriente id usitatum fuisse, *Tertullianus* scribit libr. de corona militis c. 3. & l. i. advers. Marcion. c. XIV. nec non *Hieronymus* libr. contra Lucifer. In occidente autem cum lacte vinum fuisse porrectum, *Hieronymus* quoque asserit in c. LV. Esaiæ (47) cujus causam subministravit *Cyprianus* Epist. LIX. ad Fidum Episc. vid. *Quenstedius* l. c. in Antiquitatibus. (48) Induebantur veste albâ, in signum cœlestis gratiæ & diviniioris munditiæ. De quo ritu legantur, Summè Rev. Dn. *D. Sam. Bened. Carpxovius*, Theologus Dresdensis, de universa Ecclesia Christiana meritissimus, in Examen nov. Prax. *Jac. Masen*. p. 788. & *B. Dannhauerus* in Hodof. p. 1077. seqq. conf. & vetustus quidem, venustus tamen atqve Christianus Poëta *Paulinus*, (cujus elogia vitæqve rationem, cum scriptis suis, præter alios collegit, maximi ingenii Vir, Theologus Arnstadiensis præclarè meritis *Joh. Godofr. Olearius* quem semper submisso animi cultu veneramus, in Abaco Patrologico p. 356. & *B. Christ. Daumius*, Affinis noster post fata etiam maximoperè colendus, in Syllabo Poëtarum Christianorum, qui cum *Benedicti Paulini Petrocoru* Libr. VI. de vitâ B. *Martini* Lips. 1671. excus.) Epist. XII. ad Severum, *Josua Arndius* in Antiquitat. Eccles. Lexico p. 48. 1669. Gryphisw. in quarta forma edit. *Joannes Hoornbeck* in Miscell. Sac. Libr. I. cap. XVII. pag. 518. edit. Ultraject. *Augustinus* Sermon. CLVII. de tempore. *Baron.* Martyrol. Rom. pag. 7. quâ alba veste & adulti & infantes sic insigniebantur, $\lambda\alpha\mu\omega\epsilon\phi\omega\rho\epsilon\iota\sigma\iota$ seu $\lambda\alpha\mu\omega\epsilon\phi\omega\rho\epsilon\iota\sigma\iota\alpha\iota$ dicunt Græci. *Heinsius* Exercit. in Luc,

§. 12. Illud præterea negligendum non est, quod baptizati nefarios gentilium ritus fugiebant, atque ab illorum superstitionibus, auguriis & fanaticis rebus planè penitusq; abstinebant, animumq; ac corpus ab aquæ lustralis aspersione omni studio retrahebant, etiam si in publica esset corona, aut vel in ipso Principum conspectu. Sic Valentinianum aspergentem se ædituum verberasse ac repulisse, quasi non expiasset se, sed potius contaminasset, apud Sozomenum (52) & Theodoretum (53) legimus.

§. 13. Certum atque definitum tempus baptismo neque à Christo, neque ab Apostolis est constitutum. Ævo enim Apostolorum & proximè subsequentibus temporibus, quovis die administrabatur, uti ex variis Sacri codicis

Luc. XXIII. Apud *Victorem Uicensem* libr. 3. persec. Afric. Sabana, vocantur linteamina. Ubi *Mirita Diaconus*, martyrium subiens, persecutori suo, & apostatæ, quem ipse de alveo fontis susceperat generatum, *Epidophoro*, illa, quibus eum suscipiens de fonte dudum tegerat Sabana, bajulans ostendebat: Hæc sunt linteamina, *Epidophore* minister erroris, quæ te accusabunt, cum majestas venerit judicantis. (49) Sic ex *Cyrillo* Cateches. Mystagog. I. *Naxianzeno* Orat. XXIX. aliisque docet *Casalius* de veter. sacr. Christ. ritibus p. m. 58. add. *Vice Comes* de Antiquis Baptismi ritibus libr. 5. cap. 25. (50) Peracto nempe Baptismo statim Neophytis, infantibus etiam, S. Eucharistia porrigebatur, tanquam Sacramentorum complementum & perfectio. *Cyprianus* Serm. de lapsis, n. 7. *Augustinus* contra Pelag. libr. 1. cap. 20. *Chrysostomus* Homil. X. in Matth. *Ambrosius* libr. 3. de Sacram. cap. 11. D. *Mayerus* in pecul. Dissert. Lipsiens. edit. de Eucharistia infantibus olim data. (51) Hujus mentionem facit *Tertullianus* de Baptism. cap. 8. formulam hujus benedictionis subministrat *Ambrosius* T. IV. libr. 2. de sacram. cap. 7. pag. 434. DEUS Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aquâ & Spiritu Sancto concessitq; tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam. (52) *Sozomen.* Libr. IV. cap. 11. (53) *Theodoretus* Libr. III. cap. XVI. Hist. Ecclesiasticæ

dicis locis (54) patet. Postmodum autem, nescio quo instinctu aut fundamento, præcipuis tribus anni festis, baptismatis administrationem instituebant, atque tempus Epiphaniarum, Paschatos ac Pentecostes præ aliis eligebant. Quæ perversa consuetudo jam dudum jure meritoq; in cœtibus nostris est oblitterata.

§. 14. Apostoli ubivis locorum in fluviis & fontibus (55), vel etiam in privatis ædibus (56) imo & in carcere (57) baptizârunt. Quemadmodum enim tribus prioribus Seculis, propter persecutiones, nulla habebant templa; (58) sic etiam nulla baptisteria.

§. 15. Extructa autem prima baptisteria sunt in privatis domibus, ut refert Auctor vitæ Marcelli Papæ. Postea sævientibus nimium tyrannis, in locis absconditis, subterraneis, occultis & cavernis &c. in quibus sacra sua peragebant, Baptisteria etiam habebant. Illud verò non

(54) Act. III. comm. 21. c. IIX. 12. 13. 37. c. IX. 19. X. 47. vid. & *Quenstadius* l. cit. N. IX. §. 1. seqq. p. 365. Sect. II. (55) Matth. III. 6. Joh. III. 23. Act. IIX. 38. 39. add. *Tertullian.* libr. de Baptismo c. IV. (56) Act. IX. 18. c. X. 47. (57) Act. XVI. 33. *Walafridus Strabo* confirmat de rebus Eccles. c. 26. & *Eusebius* Histor. Eccles. Libr. VI. c. V. narrat, Pasilidem confessorem ac martyrem in carcere σφραγίδα κυρίου, signaculum Domini, i. e. baptismum accepisse: σφραγίδα enim apud veteres baptismum designabat, uti docet *Gregorius Nazianzenus* Orat. XL. pag. 639. & 659. *Cyprianus* Epist. LXXIII. *Clemens Alexandrinus*, cujus fragmentum est apud *Eusebium* Libr. III. Hist. Eccles. c. XXIII. Annotandum his, quod semper quando ad Baptismum accederent Baptizandi cantatus sit Ps. XLII. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes. &c. vid. *Augustinus* in Psalm. XLI. p. 372. & *Hoornbeckius* Miscell. Libr. I. cap. XVII. num. 1. pag. 511. Ultraject. edit. (58) Id prolixè demonstrat *Joachim. Hildebrandus* qui insignem in pervestigandis antiquitatibus adhibuit operam, in erudito Enchirid. de Priscæ & primitivæ Ecclesiæ Sacris publicis, Templis & diebus festis, Helmstadii 1652. edit. cap. II.

non tangam, quod quidam ex 1. Cor. XV. 29. ritum extorquere contendant, quasi infantes & catechumeni super mortuorum sepulchra tincti fuerint, aut Martyrum cineribus & sepulchris superstructa baptisteria habuerint: quod quale sit, alii judicent, cum nullum in Historia hujus rei vestigium reperiri videatur (59).

§. 26. A Constantino Magno, qui Seculo IV. requiem Ecclesiæ reddidit, primum quidem *Φαλισηρα* in suburbio sunt posita, ibiq; confecta (60) sed postea tamen intra urbem in Cœlio monte etiam erecta (61). Quamvis verò mos fuerit in veteri Ecclesia Baptisteria extra ædes sacras collocare, non alia de causa, quam quod solum per baptismum admittantur homines in Ecclesiam, & ad SS. mysteria, tanquam per ostium (62). Crescente deinceps Christianorum numero, ne infantes ab aëris tempestate offenderentur, in singulis templis (63), præsertim cathedralibus aut parochialibus peculiaria ordinata sunt baptisteria, quæ ex lapide duro, non fragili aut bibulo, ne aqua penetraret s. vas frangeretur, erant efformata. (64) De qua re variæ passim in antiquitatibus monumenta (65) supersunt.

C 2

§. 17. Ma-

(59) Vid. *B. Dannhauerus*, Argentinenſis Theologus incomparabilis, in idea Boni Interpretis. §. 79. (60) conf. *Socrates* in Hist. Eccles. l. 1. c. XXVI. *Sozomenus* lib. II. c. XXXII. (61) *Augustinus* de civit. Dei lib. XXII. cap. IIX. *Gregorius Turonensis*, Histor. Francorum libr. X. cap. XXIIIX. (62) *Steph. Durandus* de ritibus Eccles. l. 2. c. XIX. & jam allegatus *Gregorius Turonens.* libr. V. Hist. c. XI. (63) Sicea de re sonat decretum *Clodovei* Francorum Regis, Sec. VI. quo sanxit, ut baptisteria intra Ecclesiam à sinistra parte ingredientium intra Ecclesiam construerentur, in sacellis, vel propè *μεγῶναον* s. vestibulum templi, recitat illud *Gregorius Turonensis* in Historia Francorum & de Miraculis S. Martini L. II. c. 21. (64) vid. *Hoornbeckius* in Misc. sacr. L. I. c. XVII. (65) uti ex Concil. Ilerdensi relato à *Buccardo* libr. IV. cap. XIII, affert

§. 17. Maximè autem in admirationem rapit animum, quando in rerū Americanarum Scriptoribus reperitur, non obscura & proletaria extincti veri cultus divini indicia apud barbaros etiam & parū cultos homines fuisse. Interea de incolis insulæ Jucetanæ, quæ in India Occidentali, refert Petrus Martyr (66), illos esse recutitos, & diligenter templa frequentare. Et alio in loco (67), Baptismi quoque vestigia apud illos inventa, asferit. Ut meritò detestandum pessimum factum in Ratholdo, Frisonum Duce, qui quidem prædicatione Walfrani Episcopi eò adductus erat ut baptizaretur, sed cum uno pede in lavacrum intravisset, alterum pedem retraxisse dicitur, accepto ad quæstionem illam: ubinam majores sui, in cælo, an in inferno essent? hoc responso, in inferno eos esse, pedem intinctum extrahens, majores sequi maluit (68).

§. 18. Campanarum baptismus recentior, & ab inclinante Ecclesia Latina introductus, proptereaque à Carolo M. in Capitularibus (69) prohibitus est, à quibus sanctionibus Seculo X. recessit Johannes XIV. Pon-

cum aliis testimoniis *Casalius* de veter. sacr. Christ. ritibus p. 42. (66) in Tract. de Insul. nuper repertis p. 135. (67) l. c. p. 165. Sic ille scribit: *Anniculos, pueros, puellasq; referunt cum ceremoniis piis; Sacerdos verò in templis a quâ in crucem urceolo capiti super injunctâ baptizare videntur; verba autem non recipiunt, actiones & murmura licet animadvertere.* (68) *Centuriatores* Cent. IIX. c. VI. (69) cap. XVII. Capitular. de Gloccis non baptizandis. Campanarum originem egregiè & pro more suo optimè antiquis monumentis demonstravit incomparabilis noster *D. Schurzfleischius* in *Antiqvit. sacr. Coll. MSSt.* cap. II. de designat. ritus convocandi ad sacra §. mihi IV, Quæ in re dubii sanè sunt ac parum sibi constant, neque hujus ritus antiquitati satisfaciunt, viri cæteroq; in eruditi, *Angelus Roccha, Casalius*, & qui se implicant, *Polydorus Vergilius*, ac *Cælius Rhodiginus, Baronius*, aliique, qui de hoc argumento ex professo scripserunt.

Pontifex Romanus, (pravi ingenii homo, & ob mores pessimos vel ab ipso Baronio reprehensus) qui campanam in Laterano baptizavit, atque a suo nomine appellavit. Quamvis autem baptismum sacramentalem intelligi nolint Romani Doctores; superstitione tamen & profanatione nominis divini non caret ritus ille, dum campanam in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptizantur (70).

§.19. Id quoque sequiorum temporum superstitioni merito adscribendum, quod aquam baptismalem ad fugandos Dæmonas adhibeant, quem usum, vel abusum potius, Ecclesia vetus ignorat. Pugnat hoc vitium ex lustratione gentilium forsitan prognatum, cum fine & instituto sanctissimi hujus mysterii, quò soli homines regenerantur ac divinæ civitatis jus consequuntur. Quorsum fermè spectat pessima illa vulgi persuasio, quâ pluvias in die Johannis Baptistæ de cælo lapsas, fructusque abluentes, bonum omen interpretatur, atque de consuetudine, baptismum Johannis, (die Johannis Tauffe) vocat; putans, his ipsis, omnes frugum impuritates abluere planè atque consumi. Quapropter etiam nonnulli ab eo tempore, arborum fructus, licet nondum maturitatis & perfectionis gradus attigerint, decerpere tamen atque pro lubitu ad esum usurpare incipiunt.

§.20. Negandum verò non est, peculiare interdum Baptismum, habuisse effectus, intentatis præcipue aut à Satana seductis hominibus, qui ad sacrum hunc fontem unicum habuerunt refugium (71). Per Baptismum formosum redditum Bassiani cujusdam infantem, Thomas

C 3

Bo-

(70) vid. *Walafridus Strabo* de divinis rebus c. V. *Alcuinus* de divinis officiis. (71) Sic ex *P. Ludov. Frojes* in Epist. Japon. illorum temporum *Petr. Chéza P. I. Hist. Peruan.* c. 18. *Delrio, è Villane* l. 8. c. 35. & *Bosio* l. i. de not. Eccles. c. 16. *Erasm. Francisci* libr. 1. *Acer. Exoticorum* c. VI. p. m. 19. multa exempla affert.

Botius (72), meminît. Sic & Rex quidam Tartarorum Anno 1281. Armeniæ Regis filiam, Christianam uxorem duxit, ex quâ prolem suscepit, cujus pars media instar Sylvestris feræ hirsuta, altera glabra fuit. Cùm aruspices id ob Reginæ adulterium factum esse, dicerent, ipsa per Baptismum puerum Ecclesiæ inferi petiit. Quo facto evanuerunt pili, & homini per omnia factus est similis (73). Refert Socrates (74), Judæum quendam paralyticum & multis annis lecto affixum omnibus medicamentis & Judæorum precibus ad sanitatem illi restituendam nihil conferentibus, cum verâ tandem fiduciâ ad Baptismum Christianorum, velut ad remedium efficacissimum confugisset, postquam ab Attico Episcopo Constantinopolitano de fide in Christum rectè institutus esset, unâ cum lecto ad Baptismum deportatum, quem cùm sincera fide ab Attico recepisset, subito à morbo liberatum, ac longi temporis sanitate divinitûs donatum fuisse, atque hoc ipsius exemplo multos ex gentibus ad usum, amorem & admirationem Baptismi invitatos, & Christo lucrifactos esse.

§. 21. De Clodovei, Francorum Regis Baptismo, Romanenses jactitant, deficiente chrismate, precibus lachrymisque fufis, Remigio columbam nive candidiorem, ampullam chrismate sacro repletam in rostro afferentem, apparuisse. Quâ acceptâ ampullâ à Remigio, suavissimus odor omnium animos repleverit, specie columbæ evanescente. Quod ex Hincmaro Rhemensi, (75) Baronius (76) recitat atque pro certissima re fabulam hanc venditat. §. 22. San-

(72) Tom. I. de signis Ecclesiæ l. i. c. 16. (73) Chron. Martin. Ord. Prædicat. Wolff. p. 557. & ex illo Jacobus Raupius in Biblioth. Portatili Practica Francof. ad Moen. 1663. edita Loc. XIX. n. XL. p. 772. (74) Socrates Hist. Eccles. lib. VII. c. IV. vid. plura exempla apud Raupium l. c. (75) in vita Remigii (76) Tom. VI. Annal. ad A. C. 499. n. 28.

§. 22. Sanctus Ludovicus, Rex Galliae, tanti diem ac locum, in quo baptizatus erat, faciebat, ut neglectis aliis honorificis & magnificis titulis, hoc unico ferme delectaretur & gloriaretur. Hinc etiam epistolas, quas trans mittebat ad alios non alio nomine subscribebat, quam Ludovici de Possiaco, qui videlicet locus Baptismi eius erat (77). Cui merito associandus Fridericus Barbarossa Imperator, qui per integram vitam, & in ultimo vitae halitu adhuc Baptismi sui recordatus est, animumque mirifice erexit. Et Albertus Dux Saxoniae fortissimus, unice Diaboli tentationes & ludibria Baptismi sui memoriâ delevit atque percussit (78).

§. 23. Recens Baptizatos in libro vitae aureis inscriptos literis refert Gregorius Magnus (79) idque integro exemplo demonstrat; In ea mortalitate, inquit, quæ ante triennium hanc urbem vehementissima clade vastavit, in Portuensis civitatis monasterio, Mellitus Monachus, adhuc in juvenibus annis constitutus, sed miræ simplicitatis ac humanitatis vir, appropinquante vocationis die eadem clade percussus ad extrema deductus est; Quod vitae venerabilis, Felix, ejusdem civitatis Episcopus, audiens, ex cujus relatione hæc cognovi, ad eum accedere studuit, & ne mortem timere deberet, verbis hunc præsursoriis confortare; cui etiam adhuc de divina misericordia longiora vitae spacia polliceri coepit. Sed ad hæc ille respondit. Cursus sui tempora esse completa dicens: Apparuisse sibi juvenem, & Epistolas detulisse dicentem: aperi & lege. Quibus apertis asseruit se ad omnes qui eodem tempore à Benedicto Episcopo in Paschali festivitate baptizati fuerunt, scriptos in iisdem epistolis literis aureis invenisse, primum quidem, ut dicebat, nomen suum reperit, ac deinde omnium, illo in tempore baptizatorum, quæ de re certum tenuit, de hac vita sub celeritate esse migraturos.

§. 24. Atque

(77) *Jacobus Boldutius, Capucinus*, Comment. in Jobum c. VII. 18. p. 327. (78) *B. D. Selneccerus P. IV. Exam. Theologic.* pag. 129. (79) *Libr. IV. Dialogor. c. XXV, seqq.*

§. 26. Atq; hæc essent, quæ pro temporis ratione de Baptismo Johannis ejusq; ritu ad posteros producto afferre placuit. Faxit benignissimum in cœlis Numen, ut & puram conscientiam, & intaminatas innocentia in Baptismo impetratas vestes, aliquando DEO iterum sub vitæ nostræ finem afferamus, omnesqve & Satanæ & mortis pericula ac spicula Baptismi nostri recordatione & efficaciam superemus fortiter ac dissipemus. S. D. G.

ERgò age quod teneris dudum meditatus ab annis;
Quod vigiles noctes, quod meruere dies.

En igitur meritos jam Phœbus spondet honores,

Ipse paraturus singula clara Tibi.

Applaudo cœptis, felicia fata sequantur,

Ut Tibi succedant quæ Tua fata volunt.

ANDREAS SENNERTUS, P.P. & h.t. nonum
Decanus, æt. curr. LXXXIV.

Johannem sistens Baptistam more decenti,

REINHARDE, Aonio pars adamata Choro.

Est sanè laudis, varios exponere ritus.

Qvis fructus etiam deneget inde Tibi?

CHRISTIANUS DONATI, P.P.

Cui non probatur Phœbicum labor,

Antiquitatis mnemata reppetens,

Quæis rituum possunt, locorum,

Temporis & rationem habere?

Hæc ipsa tangit Te reducem * modò,

REINHARDE, Civis, cura sagacior,

Quod si quis anceps hæsitârit,

Hoc specimen licet intueri.

O Te beatum! Namq; bono uteris

Ductore, Quem non GLEICHIADÆ juvat

Svadela, mores, Frons aperta?

Macte igitur! Decus inde surgit.

ἐκ τῆς ἀρχαίας ἀντιγραφῆς.

M. JOHANN, Priester / P.L. Cæs., Lyc. Witteb.

Rector. & Illustr. Soc. Teuton. addictus.



* ex Silesia nimirum, ubi Generosæ Sobolis DAHMIANÆ informator extitisti. Vicit tamen singularis in Musas nostras amor, ut incitâam Levcoream repeteres. Benè proinde TE, imò optimè!

b
a
m
P.
is
r-
cit
e-
nè
o-
b.

02 I 122


ULB Halle 3
003 792 781


1017

5d.







MA
DANNOY

QVÆDAM
LOCA,

6. 5. 13.

ANTIQUITATE

MI PHILOSO-
PHINIS,

AD ALBIM

TORUM EXAMINI

DR. *Bleich*
CO,

benstein. Varisco,
Stud.

d. XIII. Jul.

MINORI.

es denuò recusa,
V.

HEMPI,